AD QVODLIBETARIAM
QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS
AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE MARTIS XXXI. IANVARII.
M. GABRIELE BIARD, DOCTORE MEDICO MODERATORE.

556

AN A SEMINE CALIDIORE MARES.

I.

Singuli homines ius Naturæ tandem aliquando persoluunt. Sublunaria omnia vt à cælestibus longius absunt, ita mutationi magis obnoxia; quæ quia propter ἑτερότητα, & connatam moriendi necessitatem eadem numero permanere non poterant, Deus iustitiæ omnis author, fatalisque mortalium ruinæ misertus, ea saltem in specie perdurare voluit, vno mortuo succedit alter ac velut succenturiatur procreatricis beneficio, quæ omnium prima in vtero viget, nutricem auctricémque facultatem tum ordine, tum dignitate præcedit: ad opus suum peragendum, ab alteratrice, & conformatrice auxiliares sibi porrigi manus deposcit; illa partes similares, hæc organicas dicitur conformare.

II.

IN generatione duplex causæ genus, materia, & efficiens, ortus nostri duo principia, semen, & menstruum; hoc vt materia, illud vt efficiens. Sanguis maternus qualitate numquam, sed quantitate noxius eiusdem naturæ perhibetur cum eo, qui partibus cedit in alimentum. In muliere colligitur quod seruandæ speciei ita à Natura constitutum sit: eo enim absente fœtus nullus, absque argilla nullum figlinum. Excernitur vero quod indiuidui commoditas maxime postulet, suppressus quippe nisi in fœtus alimoniam, & augmentum absumatur grauissimos infert morbos.

III.

SAnguine materno continentur humores quatuor, Sanguis, Bilis, Pituita, & Melancholia: ex quorum varia mixtione natiuæ consurgunt singulorum hominum temperaturæ. Sanguis hic pubertatis tempore solummodo erumpit, vnde ingens corpori mutatio accidit. Etenim vbera tumescunt, pubes emergit, vox exasperatur, vasa dilatantur, denique propter caloris ἐγγλάειν corpus venereis illecebris, titillationibusque exagitatur, supprimitur quinquagesimo anno, ætatis vitio sanguis frigidior, proinde ad motum ineptior, & parcior factus: viæ à siccitate, senio contracta, angustæ nimis, nec satis patentes.

IV.

SEmen ab omnibus corporis partibus deciduum formam vltimam & perfectionem à testibus accipit; quibus ad accuratiorem elaborationem vasa spermatica (præparantia dicta) sinuosa, multisque amphractibus, & meandris inuoluta, præposuit Natura: vt longiore mora, atque ductu diuturniore seminis materia præpararetur, hæc non transmittitur quidem à facultate excretrice, verũ innata ipsorum testium proprietate, similique virtute, qua Iecur chilum, Vesicula fel, Lien succum melancholicũ attrahit, rapitur. Testes tum ad meliorem vitam degendã, tum ad speciei propagationẽ necessarij sunt; qua ratione inter principes partes non denegãdus illis locus.

V.

NAtura vt hominum genus sexu distinxit, ita etiam generationis instrumentis, mas in alio, fœmina in se generat. Vtrũque semen emittit, idque fœcũdum (ne tamen affirmes sine virili amplexu hanc concipere posse.) Est autem conceptio propria & peculiaris vteri actio, præcedunt eam penis arrectio, intromissio, eiaculatio, sequuntur totidem conformatio, conformati motus, ac demum partus. Potentioris caloris opera in actionibus maximè elucent. Semen, quod quidem singularium partium ideam, propriúmque characterem præ se fert, si calidius extiterit, mares; si frigidius, fœminas efformari ex eo constat; quod illi citiùs conformentur, velociùs moueantur, ocyus demum in has æthereas deuehantur auras. Hæ verò tardius, quamuis extra vterum breuiori tempore suum capessant incrementum. illi nigriores, hirsutiores, venas, & cauitates omnes habent ampliores. hæ albicantes, glabræ, pingues, adiposę, tam animi, quam corporis motus prębtãt imbeciliores.

ERGO A SEMINE CALIDIORE MARES.

Proponebat PAVLVS GYRON Blæsensis Anno R. S. M. DCXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Carolus le Clerc.
M. Ioannes *Bourgeois.*
M. Mauricius Demonstr'œil.
M. Guillelmus Gion.
M. Claudius de Poix.
M. Ioannes *Martin.*
M. Andreas du Chemin.
M. Georgius Arbault.
M. Stephanus de la Font. P. R.